Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 101

Quelle:
Copyright:

larit Vir ille eruditus *Codicem* integrum ſibi a quodam e Bibliothecae Adminiſtris deſcribi, nae ille quotidianas horum hominum occupationes ignorarit. Exponit et offert Bibliotheca *Auguſta* opes ſuas literatis Viris, ad recurſum invitat, eumque commodum et expeditum reddit; ſi quid ultra eſt, aut per ſe ipſos, aut per Vicarios peritos, qui *Viennae* nunquam deſunt, curent, oportet. Ceterum *Codice* noſtro fruſtratus *Schilterus* non adeo gravem jacturam fecit; e collatione enim a me inſtituta, ſi in Theotiſco variantes literas *e* et *o*, *k* et *ch*, *d* et *t* &c. excipias, liquet, parum illum ab aeque praeſtanti *Vratislavienſi*, quo uſus eſt, differre. Atque ut iſtud aliquo ſpecimine comprobem, in *Paraphraſi* metrica *p. Schilt. 3. dum largo pectore* pro *largo nectare* legitur, *gratia nam ſtillat* pro *non ſtillat*. Pag. 4. *amore pio recolentes* pro *amore tuo*. P. 5. *Caedibus atque minis pepulit* pro *populet*. P. 7. *Quare non vereor* pro *non reveror*. P. 8. Iidem Verſus, qui in *Cod. Vratisl.* adſunt et abſunt. P. 10. *fraudem pectore verſas* pro *celas*. &c. In Expoſitione vero theotiſca *Schilt. p. 3. geiunget ſint in demo toufe* pro *geuuiget ſint in dero toife*. P. 5. *die chriſtanen eccleſiam* pro *die ereſten eccleſiam*. P. 6. *unde weidene dine chizzin* (Haedi) pro *dine Zikkin*. P. 9. *wrmes wis* (vermiculatae) pro *in uwrme wis*. P. 10. *Wanda du ungetrues* pro *feichenes* &c. quae certe leviora ſunt. Demum, quod ſingulare eſt, *Codex* absque omni inſcriptione incipit: *Vox Synagoge*, Praefatio vero *Willerami* ad calcem dilata eſt. Carmen ad *Henricum* IV. quod in *Moltheri*, non vero in *Merulae* editione legitur, *Schilterus* vero e *Marq. Frehero* repraeſentavit, abeſt. Adi, ſi lubet, etiam *Cod.* ſeq. Praecipue vero nota, *Paraphraſin* noſtram latinam in edit. *Opp. Hildeberti Cenoman.* et *Marbodi Redon. Pariſ.* 1708. f. huic poſteriori adtributam tanquam ἀνεκδοτον comparere, conſilio, quod mirere, *Joh. Harduini*, ut in *Monito* praevio adſeritur.

XLV. VIII. B. 4.

Codex chartaceus lat. theotiſcus Sec. XVII. f. deſcriptus ex vetuſto membraneo, quem *Otto Henricus* Palat. Elector a *Georgio Caſſandro* habuerat, Folior. 37. hunc praefert titulum: *Cantica Canticorum gloſſata ex parte Domini Wilhelmi*, cujus loco reſcribendum: *Willerami* ex Monacho Fuldenſi O. S. B. Abbatis non *Merſpurgenſis* in *Suevia* aut *Saxonia*, ſed *Eberſpergenſis S. Sebaſtiani* in *Bavaria* ✠ MLXXXV. Reliquit vir hic, ut notum eſt, non tantum *Paraphraſin latinam* verſu heroico leonino *Canticorum*, quae *Menr. Moltheri* opera jam a. 1528. lucem vidit *Haganoae* 8. ſed et *Interpretationem* et *explanationem* illorum ſermone gentis ſuae theotiſco, quam ſolam ſine Praefat. et aliis πάρεργοις Codex hic noſter exhibet. Cum vero, 104